

VICARIATUS URBIS TRIBUNAL APPELLATIONIS

NULLITATIS MATRIMONII OB OCCLUSAM MULIERIS VAGINAM
(NEAPOLITANA)

Januarius - Bernarda

Coram R. P. D. SEVERINO ALVAREZ-MENÉNDEZ, O. P.

SENTENTIA

Paulo Pp. VI^o feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quarto, die 1 decembris, 1966, infrascripti RR. PP. DD. Eligius Lauro, Curiae Vice Officialis, et Severinus Alvarez-Menéndez, O. P., in eadem Romana dioecesana Curia iudex prosynodalis, qui et Ponens, protribunali sedentes in Aula tribunalis appellationis Vicariatus Urbis, una cum R. P. D. Marcello Magliocchetti, Curiae Officiali, collegii Praeside:

Cognita ex legitima appellatione a tribunali Campano, causa nullitatis matrimonii inter d.num Januarium, actorem, in iudicio repraesentatum per procuratorem et advocatum d.num R., eidem ex officio datum; atque d.nam Bernardam, conventam; interveniente ac disceptante in causa Rev.mo D.no Hannibali Ilari, Vinculi Defensore ad hanc causam deputato, hanc in altero iurisdictionis gradu definitivam tulerunt sententiam:

I.—FACTI SPECIES

1. Viginti supra quinque vir, mulier vero novem supra viginti aetatis annos agentes, die 30 octobris mensis 1946, in neapolitana paroeciali Ecclesia, Cercola Immaculatae Virgini atque Divo Antonio sacra, christianas nuptias contrahebant, postquam per duos circiter annos praematrimonialibus vacaverant relationibus. Et iuxta conventam, quidem, a viro etiam in hoc adversatam, vel ipsis carnalibus intimatibus. Caruit prole huiusmodi coniugium, licet, omnium sententia, neque iurgiis neque familiaribus caruerit discussionibus. Quinimmo, neque separationibus, quemadmodum illa annuali, ab actoris matre hisce verbis relata: “Mio figlio, per quattro o cinque anni, non è tornato in casa...; solo una notte, bisticciosi con la moglie, tornò a casa alle ore una di notte. Al mattino mi recai a casa della moglie con l'idea di mettere pace, ma la moglie mi trattò male e protestò che mai più voleva vedere suo marito. Mi recai allora dalla madre della B. con le stesse